

inferri potest ratione subjectionis et jurisdictionis ejusdem. De qua potestate optime scribit Navarrus, comment. 3, de Regular., num. 50, eam confirmans non solum ex titulo jurisdictionis, sed etiam ex titulo dominii, ratione cujus potest dominus servum fugientem capere, vel rem propriam recuperare ubicumque illam invenerit, etiam juxta leges civiles; et hoc in specie multi Pontifices concesserunt religionibus, ut constat ex Compendiis privilegiorum, verb. *Apostata*, verb. *Fugitivus*. In quibus multae aliae facultates ad hanc causam pertinentes, et aliqua aliae poenae continentur, quae ibi videri possunt; non indigent enim speciali declaratione. Solum adverto, in aliquibus Indultis non tantum esse sermonem de apostatis, sed de recedentibus a religione sine licentia Praelati, quae videntur extendi etiam ad fugitivos, licet non sint proprie apostatae. Tale videtur esse privilegium concessum Minoribus, ut recedentes a religione, nisi post mandatum Superioris infra octo dies ad obedientiam religionis redeant, excommunicationem Pontifici reservatam incurrunt. Haec enim facultas monendi, et praecipendi reditum, veluti sub tali censura, non solum datur respectu apostatarum, sed etiam respectu omnium fugitivorum.

Dubium tertium, de obligatione Praelatorum ad revocandos apostatas.

17. *Resolvitur obligari.* — Sed inquiret aliquis (sitque tertia dubitatio in hoc cap.) an, supposita dicta Praelatorum potestate, teneantur Praelati hujusmodi fugitivos inquirere, et cogere ut ad sua monasteria redeant. Respondetur, *per se loquendo*, teneri, tum quia jure communi ita statutum est in cap. ult. de Regular., ubi Praelatis praecipitur ut annuatim quaerant, et reduci studeant fugitivos suos; tum etiam quia ex vi muneris et officii sequitur haec obligatio, quia tenetur Praelatus, et bono communi religionis, et spirituali saluti talis subditi prospicere, et ad utrumque finem necessaria est illa diligentia et cura Praelatorum. Satisfacient autem, ut existimo, huic muneri, si juxta ortam occasionem vel occasiones moralem diligentiam adhibuerint. Nam illa particularis circumstantia, de annali inquisitione, non videtur esse in usu, et vix potest moraliter esse necessaria vel expectari; nam si Praelato constiterit nullum esse fugitivum, nihil est quod quaerat; si autem aliquis aufugit, non est expectandum tempus unius anni ad inquirendum illum, sed statim

adhibenda est omnis diligentia, ut possit esse fructuosa. Quod si tunc capi non possit, non videtur necessarium singulis annis specialem inquisitionem facere, sed satis erit vigilare, et juxta occurrentes occasiones prudenti arbitrio moralem diligentiam adhibere.

18. *Excusantur aliquando Praelati a dicta obligatione.* — Dixi autem *per se loquendo*, quia si talis est persona fugiens, ut experimento constet esse incorrigibilem, vel nocivam religioni, excusandus videtur Pastor ab onere quaerendi tam morbidam ovem, quia bonum commune praefendum est privato; quod significavit S. Bonaventura, de libro Quaestionum circa regulam S. Francisci, quaest. 14, ubi loquens de tali religioso inquit: *Si Deo permittente talis seipsum ejiceret, gratiae sunt Deo agenda, non quia ille peccavit, sed quia oves suas a pestifera contagione liberavit; utinam abscondantur, qui vos conturbant, scilicet puritatem vestram, pacem et famam*; et insinuat rationem, quia religio potest hujusmodi religiosum perniciosum a se abjicere; ergo si ipse abeat, non tenebitur eum requirere. Et ita etiam sentit Sylvester, verb. *Apostasia*, num. 10.

19. *Quaerendus tamen apostata, etiam ejiciendus, ad sui correctionem et exemplum aliorum.* — Addendum vero occurrit, etiamsi talis sit religiosus ut postea ejiciendus sit, requirendum tamen esse, ut in pravo apostasiae statu non permaneat, quia debet Praelatus quod in se est, et sine incommodo potest, facere, ut illum liberet a statu damnationis; quamvis autem religio gaudeat de illius membri abscissione, tamen quia illicito modo facta est, ille apostata manet semper in statu damnationis, donec a Praelato competente absolvatur et licencietur. Et quamvis ipse teneatur sibi consulere, et remedium procurare, tamen, quia, dum est fugitivus, semper est sub cura et jurisdictione religionis, ideo etiam Praelatus tenetur illi malo remedium adhibere; quod si id possit facere, absolutionem et facultatem mittendo absenti, et prudenter judicet ita expedire, satisfaciet suo muneri; regulariter tamen loquendo, existimo debere revocari, et propter apostasiam in carcerari et puniri, juxta cap. *A nobis*, de Apostatis, quia ita etiam expedit ad exemplum aliorum, et quia forte vexatio dabit intellectum, et quamvis ejiciendus sit, forte illi proderit ut extra religionem cautius vivat. Deinde potest talis reductio esse utilis, ut religiosus ille audiatur, an in ea religione, vel provincia habeat speciales causas

suae perditionis et contumaciae, atque ita remedium illi adhibeatur suae fragilitati accommodatum, quoad fieri possit. Nam et religiosa charitas et pastoralis cura totam hanc diligentiam videntur postulare.

ubium quartum, ad quem pertineant bona parta in apostasia.

20. — *Primum pronuntiatum quoad bona alieni domini.* — *Quid quando domini ignorantur.* — Quarto dubitari potest de bonis acquisitis ab his apostatis, dum in eo statu permanserunt, ad quem pertineant quoad jus et dominium; et consequenter cui reddi debeant, vel durante apostasia, vel recedendo ab illa, aut per mortem, aut per reditum ad religionem, aut per licentiam obtentam manendi in saeculo. Circa quod imprimis distinguendum est de modo acquisitionis; aut enim talia bona sunt acquisita per injustitiam contra commutativam, ut per furtum, usuram, vel quamcumque negotiationem iniquam, vel sine injuria alicujus. In priori casu videtur clara responsio, nam bona illa obnoxia sunt restitutioni, ut per se constat; ergo propriis dominis restituenda sunt; hoc ergo certissimum est, quando certi sunt domini, ad quos jus talium bonorum spectat. Contingit autem dominos esse incertos et occultos, et tunc, quamvis bona sint restituenda pauperibus, seu in pias causas, dubitari potest an hoc fieri possit arbitrio ipsius apostatae, vel debeat hoc suis Praelatis committere, vel etiam an Camera Apostolica habeat jus aliquod ad talia bona: sed in hoc puncto suppono non habere jus, quamdiu vivit qui ea lucratus est, sed solum post mortem ejus posse illa recuperare, juxta modum infra tractatum. Quod semper intelligendum est, deducto aere alieno, habente certum dominum, ut est per se notum ex materia de justitia; pro incertis autem dominis bene potest Camera Apostolica substitui. Dum vero Pontifici non est acquisitum jus, non video praecisam obligationem in conscientia, ob quam non possit apostata poenitens statim bona illa restituere erogando pauperibus prout sibi placuit intra latitudinem justitiae, quia hoc non est contra votum paupertatis, et nullum aliud praecceptum occurrit, cui repugnet; ergo. Probatur major, quia illa dispensatio seu elargitio non est actus domini vel proprietatis, quia potius est alieni restitutio, unde non fit nomine proprio, sed nomine ipsius domini talium bonorum; nam ex voluntate illius interpre-

tativa pauperibus erogantur. Adde vero posse Praelatum religionis, ex obedientia praecipere tali apostatae ut in restitutione talium bonorum servet modum a se praescribendum, supponendo illum esse justum; probatur, quia illud praecceptum non excedit materiam voti obedientiae, cum sit de re honesta, et quae multum potest conferre, et ad salutem, et ad perfectionem, ut ipsamet restitutio alias necessaria optime fiat. Secundo etiam in poenam delicti apostasiae et injustae acquisitionis, potest Praelatus hoc onus imponere subdito. Tunc ergo peccabit subditus contra obedientiam, si aliter faciat; tamen si faciat, videtur factum tenere, quia non est de bonis monasterii, nec contra paupertatem; existimo tamen posse Praelatum factum irritare, juxta principia in superiori tomo posita.

21. *Secundum pronuntiatum quoad bona licite acquisita.* — Superest dicendum de bonis acquisitis sine injustitia, quae possunt esse in duplici differentia, quaedam obtenta sine turpi negotiatione vel lucro, alia per modum prohibitum acquisita. De prioribus clarum est reddenda esse monasterio vel religioni, juxta dispositionem Praelati et jura religionis, quia religionis nihil sibi acquirit, et per se loquendo, et ex vi status, acquirit suae religioni, ut supra eodem tomo probatum est; et hoc jus religionis per nullum aliud impeditum est circa haec bona; oporteret enim esse Pontificium jus, quod ostendi non potest. Tenetur ergo apostata, ad monasterium rediens, secum deferre haec omnia bona, nec potest illa donare, vel superflue consumere, sed tantum necessariis uti. Quomodo autem haec bona pertineant ad spolia Camerae Apostolicae, si apostata extra claustrum ea lucretur, et ibi cum illis deeedat, infra declarabimus. Dices: qui fieri potest ut apostata licite aliquid acquirat, cum in eo ipso contra paupertatem peccet? Respondetur: imprimis dicitur *licite acquirere*, quantum est ex parte actionis, aut medii per quod acquiritur, quia nimirum actio, per quam acquirit, non est ei prohibita, neque indecens in statu religioso, ut si acquirat petendo eleemosynam, vel accipiendo stipendium justum pro Missa aut concione, etc., vel denique si laborando manibus suis in re honesta. Deinde, quamvis religiosus nihil possit accipere sine licentia Praelati ratione paupertatis, non est necesse ut apostata semper peccet, cum dictis modis aliquid accipit sine licentia, quia est in statu in quo est

illi moraliter impossibilis talis licentia, cum tamen sit illi necessarium aliquid accipere. Et quamvis antecederet illa impossibilitas nata sit ex peccato, tamen, postquam inest, excusare potest a novo peccato, ut per se constat. Quod si fortasse ille ex dissoluto animo peccet intendendo id accipere ut proprium, vel contemnendo licentiam Prælati, illæ sunt circumstantiæ internæ magis quam externæ, et ideo illis non obstantibus bona illa reputantur honeste acquisita, scilicet ex se, et ex modo acquisitionis.

22. *Tertium pronuntiatum, quoad bona illicite, sed non injuste parta.*—De aliis autem bonis turpiter et non injuste acquisitis, certum est ex se non esse obnoxia restitutioni, sive illa turpitudine sit contra naturalem legem, ut si monialis acquireret abutendo sua castitate, vel monachus accipiendo pretium ut actioni turpi cooperetur; sive sit tantum contra sacros canones, ut si lucrum fiat per negotiationem prohibitam personis ecclesiasticis, non quia intrinsece mala sit, sed quia secularis est, et habet speciem mali, vel periculum peccandi adducit, vel quia indecens est, ut omnis mercatura et negotiatio, militare, exercere officium forense, et similia. Ratio est, quia sola injustitia obligat ad restitutionem, non autem alia turpitudine quæ facit inæqualitatem in bonis acquisitis, juxta communem doctrinam, 2. 2, q. 62. Hinc ergo fit ut, secluso jure positivo, talia bona etiam acquirantur monasterio, quia acquirerentur ipsimet religioso, si esset capax; ergo loco illius succedit monasterium, nisi aliunde impediatur, quod et est consentaneum juri communi, cap. *Non dicatis*, cum gloss., 12, quæstione secunda, et cap. *Cum olim*, 2, cum notatis ibi per Innocentium, et alios, de privilegiis. Atque ita expresse declaravit Paulus IV.

23. *Opponitur contra hoc primum constitutio pro Camera Apost.*—Solum ergo facit in hoc puncto difficultatem quædam constitutio Pii IV, quæ est quinta illius Pontificis, in Summa constitutionum, et incipit: *Decens esse censemus*. In qua declarat pertinere ad Cameram Apostolicam bona acquisita a clericis in sacris, tam regularibus, quam secularibus, per illicitam negotiationem, vel alias contra sacros canones. Et Navarrus, in comm. de Spoliis, § 7, num. 3, 4 et 5, refert aliam constitutionem ejusdem Pontificis, quæ in margine notatur esse trigesima prima, et incipere *Romanus Pontifex*. Sed eam non habet Summa Lugdunensis, habetur tamen in co-

piosiori Bullario Romano, in quo prior est vigesima tertia in ordine; et posterior, quod ad præsens attinet, non mutat difficultatem, quia in ea dicitur confirmare eandem applicationem illorum honorum, solum quia eam limitat, ne locum habeat in Cardinalibus, neque in eo, qui ex legitima facultate Pontificis, testamentum condit, vel licentiam habet ut ei ab intestato succedatur. Videtur ergo per illas constitutiones ablatum esse jus monasterio ad talia bona, et translatum esse in Cameram Apostolicam, et ita indistincte fatetur Navarrus, ponens exemplum de quodam religioso apostata, qui in Indiis ad viginti millia ducatorum negotiando acquisierat, quæ secundum antiquos canones ad religionem pertinebant. Juxta novum autem jus illius constitutionis, dicit pertinuisse ad Sedem Apostolicam, et ideo consulit monasteriis ut circa talia bona se componant cum Camera Apostolica, ut possent jure firmo illa petere, et nonnullas ampliationes ac limitationes adhibet, quæ in eo videri possunt.

24. *Dicta constitutio an procedat de acquisitis a religioso laico.*—In quibus decretis duo mihi notanda occurrunt. Primum, ibi tantum esse sermonem de clericis, et ideo dubitari posse an religiosus conversus, seu laicus, veram professionem emittens, seu vota substantialia religionis, ibi etiam comprehendatur. Et ratio dubii esse potest, quia nomine *clerici* venire solet aliquando quælibet persona ecclesiastica, præsertim in favorem ejus; illa autem constitutio, cum sit favorabilis Cameræ Apostolicæ, licet sit aliis onerosa, videtur simpliciter inter favores computanda, et ita Navarrus supra absolute loquitur de quocumque religioso apostata. Nihilominus videntur bona talis apostatæ ad religionem pertinere. Probat, quia talis monachus non est clericus, nec sub tali appellatione etiam late sumpta comprehendit solet, ut patet ex canone *Si quis suadente*, et similibus, et ex titulo, ne Clerici vel monachi. Confirmatur primo, quia constitutio non est favorabilis clericis, imo est pœnalis, ut statim dicam; ergo ex ea parte non est amplianda, sed restringenda; ergo etiamsi nomen *clerici* posset ita ampliari, non esset ibi extendendum. Confirmatur secundo, quia illa constitutio non fit directe in tuitionem status religiosi, ut sic, sed clericatus et decentiæ ejus, ut constat ex illis verbis, *per quosvis clericos tam seculares, quam regulares, etiam in sacris ordinibus constitutos*, etc. Ergo, licet laicus monachus illicite negotietur, bona sic acquisita non adjudican-

tur Cameræ Apostolicæ, quia casus ille non pertinet ad intentionem hujus legis.

25. *Eadem negativa responsio procedit etiam de religioso clerico, si solum contra regulam acquirat, et non contra canones.*—Unde obiter infero, licet religiosus apostata sit clericus, et acquirat modo sibi illicite ratione sui peculiaris status, non tamen ratione clericatus, vel propter prohibitionem sacrorum canonum, bona illa non esse comprehensa sub illa constitutione, quæ tantum loquitur de bonis acquisitis per illicitam negotiationem, vel alias contra sacros canones. Illa autem acquisitio, ut supponimus, non contra sacros canones, sed contra regulam, vel constitutiones religionis; nec potest dici negotiatio illicita, tum quia non est illicita clerico, ut sic, ut etiam supponimus, et textus ille, utpote pœnalis, cum hæc formalitate videtur explicandus; tum etiam quia Pontifex loquitur secundum jus commune. Unde non vocat simpliciter negotiationem illicitam, quæ ex peculiari instituto aliquibus prohibetur, si alias regulariter ecclesiasticis personis licita est. Quæ omnia vera quidem videntur attendenda sola constitutione Pii IV. Tamen juxta aliam constitutionem Gregorii XIII, plane dicendum est omnes regulares comprehendi modo infra explicando.

26. *Nec item procedit nisi in duobus casibus præfata constitutio.*—Secundo adverte ibi non simpliciter adjudicari hæc bona Cameræ Apostolicæ, sed in duobus casibus. Unus est per successionem quasi hæreditariam post mortem, quando talis persona vel condit testamentum sine legitima facultate, vel licet haberet facultatem testandi, intestata decedit, nisi in facultate esset expressum, ut ei ab intestato succederetur, argumento legis *Ha imperfecto*, et legis *Hac consultissima*, Cod. de Testam. Secundus casus est, quoties talis persona privata fuerit illis bonis in vita sua. Circa quem dubitari potest primum de quibus bonis loquatur Pontifex; quidam eum intelligunt solum de bonis quæ relinquit apostata extra claustra decedens, nam hæc significantur nomine *spoliorum*; vel ea etiam bona, quæ post ejus mortem inventa fuerint extra religionem, ut sic dicam. Unde fit ut, si apostata redeat ad religionem, bona non pertineant ad Cameram, sed ad monasterium. Ita Emm. Rodr., tom. 4 Quæstionum regularium, quæst. 30, art. 11, citans Navar., cons. 17, de Statu monachorum; sed ibi Navarrus affirmat quidem, in eo casu, quo apostata decedit extra ipsam religionem, talia bona

pertinere ad Cameram Apostolicam, non tamen negat extra illum casum non pertinere, et præterea ibi ad hoc non allegat constitutionem Pii IV, sed aliam Gregorii XIII, *Officii nostri*, quæ est 44 in Bullario Romano majori, et 19 in minori, quæ directe facta est circa illum casum. Pius autem IV videtur latius loqui, quia adjudicat Cameræ etiam illa bona, quibus apostatæ privantur dum vivunt. Unde, licet verum sit hæc bona non numerari inter spolia, neque occupari a Collectore, seu Camerario Apostolico, usque ad mortem ejus ad quem pertinent, tamen tunc non solum inter illa bona videntur computanda ea quæ apud illum tempore mortis inveniuntur, sed etiam quælibet alia, quibus vivens privatus est.

27. *Auctoris responsio probabilis.*—*Quæ bona viventis apostatæ spectent ad Cameram Apostolicam.*—*Opinio quorundam.*—Dici ergo potest, omnia hujusmodi bona apostatæ pertinere ad Sedem Apostolicam, ita tamen ut, vivente ipso apostata, hoc intelligendum sit ad modum legis pœnalis, ita ut tunc solum intelligantur hæc bona applicata Cameræ Apostolicæ, quando, vivente tali persona, in pœnam illis privata fuerit; si autem ipsa propria sponte de illis disposuerit, non teneatur in conscientia illa reddere Cameræ Apostolicæ, quia nemo tenetur ad pœnam ante condemnationem. Poterit ergo ea in vita dare suæ religioni, et consequenter etiam religio, si ad se revocet personam, poterit etiam cum illa talia bona recuperare, nec poterit postea illis privari, quia justo titulo illa usurpat, cum nondum essent Cameræ Apostolicæ adjudicata; nec etiam possunt dici fuisse confiscata, ut postea retrotrahatur sententia, quia in illa consideratione nullum est verbum confiscationis, neque aliud ex quo id colligi possit. Quæ expositio et sententia probabilis videtur, quia cum constitutio illa privet religionem antiquo jure, videtur quoad fieri possit restringenda; illa autem restrictio videtur accommodata juri communi ex proprietate illius verbi, *privati fuerint*.

28. *Obstaculum remoretur.*—Sed obstat aliud verbum, quod statim subjungitur, *et eis destitui contigerit*. Nam illud verbum in rigore significat quæcumque abdicationem, seu derelictionem talium bonorum. Si quis autem recte consideret, Pontifex non dicit, Si contigerit eos destituere talia bona, sic enim consideratio dicta haberet vim; sed passive dicit, Si contingat destitui illis bonis, et ita idem significat quod privari, et cum sit pas-

sivum, optime per modum pœnæ explicatur. Nihilominus interpretationem hanc non assero tanquam securam, sed aliis considerandam propono. Et præcipue observare oportet quo sensu consuetudo interpretata fuerit hanc legem. Nam fortasse Camera Apostolica et jus et usum habet exigendi et recuperandi hæc bona, ubicumque illa invenerit post mortem talium personarum; si tamen illæ viventes ea donarunt, vel alias alienarunt, qui ea possident, fortasse non tenentur in conscientia ea reddere Cameræ, donec exigantur, propter rationem dictam. In religioso vero apostata, oportet specialiter observare, quod si ea non tradat Cameræ Apostolicæ (id enim semper facere potest, se huic juri conformando), non potest suo arbitrio de istis disponere, quia repugnat voto paupertatis, sed tunc debet religioni ea donare, quæ poterit illa retinere saltem usque ad mortem apostatæ. Post mortem autem ejus, si adhuc bona illa in individuo extent, et non censeantur consumpta in sustentatione ejus, magis dubia res est, an in conscientia pertineant ad Cameram Apostolicam, etiamsi ab ipsa non exigantur, tum quia Pius IV non loquitur tantum de apostatis, sed de omnibus clericis per illicitam negotiationem, vel contra sacros canones lucrantibus aliqua bona. Constat autem quod, licet secularis clericus, postquam lucratus est aliqua bona hujusmodi, cesset a tali negotiatione, et convertat illa bona in utilitatem Ecclesiæ suæ usque ad mortem, nihilominus post ejus obitum pertinere ad Cameram Apostolicam; ergo idem erit cum proportione in apostata regulari, etiamsi dum vivit, illis bonis fruatur monasterium; tum etiam quia Gregorius XIII dicit Cameram Apostolicam habere vices et nomen veri hæredis in hujusmodi bonis, et in ea dominium ac possessionem eorum, nulla traditione præcedente, transire; est ergo optimum Navarri consilium, ut de his bonis semper compositio fiat cum Camera Apostolica.

29. *Varia discrimina inter Pontificum decreta circa bona apostatarum adenda.* — Sed est advertenda differentia inter Gregorium XIII et Pium IV. Nam hic tantum loquitur de bonis per negotiationem illicitam vel contra canones acquisitis; Gregorius autem absolute loquitur de omnibus acquisitis extra claustra in apostasia, quocumque modo acquirantur, et ibi fere numerat omnes modos in specie, qui per se alias prohibiti non sunt. Et ideo quantum ad successionem post mortem apostatæ extra claustra morientis, videtur hoc exten-

dendum ad omnia ejus bona, quocumque modo illa acquisiverit, ex vi constitutionis Gregorii. At vero si apostata ad claustrum redeat ante mortem, non habet in illo locum illa constitutio, et ideo quoad bona licite acquisita procedit regula superius posita; quoad bona autem illicite comparata videtur semper habere locum constitutio Pii IV, quamvis res sit incerta, ut dixi.

30. *Quid de bonis illicite partis a religioso non apostata.* — Imo etiam ex vi illius constitutionis dubitari potest, an religiosus non apostata, sed sub obedientia suorum Prælatorum vivens, si aliquid acquisivit per illicitam negotiationem, vel per modum a sacris canonicis prohibitum, an illud in morte ejus pertineat ad spolia Pontificis, si in propria specie extet, ut in pretiosis mobilibus, vel copiosa pecunia, etc. Et ratio dubii est, quia Pius IV non loquitur de apostatis, sed in universum de clericis illicite lucrantibus, sive secularibus, sive regularibus, et sane in secularibus indistincte id accipimus, etiamsi apostatæ non sint; ergo eodem modo intelligendum est in regularibus; est enim eadem ratio, nimirum, quod ubi lex non distinguit, nec nos distinguere valemus, quando nec ratio, nec jus aliud cogit. Adde præterea Gregorium XIII etiam non loqui de solis apostatis, sed de omnibus religiosis extra claustra degentibus, etiam de licentia legitima suorum Prælatorum, et velle, ut bona ibi ab eis lucrata ad spolia Pontificia pertineant, saltem si apud eos tempore mortis extra eadem claustra inveniantur; ergo a fortiori constitutio Pii IV ad non apostatas extendenda est. Observandæ autem sunt multæ differentiæ. Prima, quod Pius solum loquitur de clericis, Gregorius simpliciter de regularibus. Secunda, quod Pius solum loquitur de bonis illicite acquisitis; Gregorius simpliciter de acquisitis. Tertia, quod Pius loquitur de bonis, sive usque ad mortem retentis, sive in vita ablatis; Gregorius autem videtur solum loqui de bonis usque ad mortem possessis, et hæc tres differentiæ a nobis jam explicatæ sunt. Quarta addi potest, quia Gregorius solum loquitur de bonis acquisitis extra claustrum; Pius autem non adhibet hanc limitationem, et ideo dubitari ulterius potest, an bona illicite acquisita a clerico regulari, etiam in claustro assistente, pertineant ad spolia post mortem ejus, ubicumque inventa fuerint; et ratio dubii est, quia Pontifex indistincte loquitur; ergo ita est a nobis intelligendus, propter rationem supra factam. Item, quia Gregorius noluit in-

distincte id statuere, vel intelligere, cum limitatione locutus est; ergo e converso Pius sine limitatione loquens, indistincte et sine limitatione voluit intelligi. Præterea habet hoc probabilem congruentiam, quia Pius, ut dixi, non loquitur indistincte, ut Gregorius, de bonis acquisitis, sed tantum de illicite partis, et ideo merito loqui potuit etiam de regulari sic lucrante intra claustrum, quia illa culpa et indecentia, quam in ea lege maxime respexit Pontifex, in totum monasterium et Prælatum ejus redundat, quando religiosus ejus, præsertim clericus, vel illicite negotiatur, vel contra sacros canones lucratur; videntur ergo sane hæc bona prædicta constitutione comprehendendi, saltem cum dicta limitatione legis pœnalis, ut, scilicet, possint a Pontificio collectore recuperari modo explicato.

CAPUT III.

DE CULPA, OBLIGATIONE AC PœNA COOPERANTIUM MODO ALIQUO AD ALTERIUS APOSTASIAM.

1. *Varii gradus positivæ cooperationis ad apostasiam explicantur.* — Ultimo circa hanc materiam de religiosis fugitivis dubitari potest quid peccent, vel quam obligationem aut pœnam incurrant, qui hujusmodi apostatis cooperantur, vel illis auxilium præbent aut favorem, eos recipiendo, defendendo, etc. In quo possumus considerare, vel jus tantum naturale divinum, vel jus ecclesiasticum. Priori modo dicendum est, hujusmodi cooperatores peccare graviter ex genere suo contra divinum et naturale jus, quia cooperantur ad rem intrinsece malam, sacrilegam et injustam. Duæ autem difficultates circa hoc occurrunt. Prima est, quando aliquis censeatur cooperari huic peccato, in qua dicendum est duos esse modos generales hujus cooperationis, scilicet positivum et negativum, et in utroque esse varios gradus. Primus et maximus positivæ cooperationis est, inducere et excitare religiosum ad exitum vel fugam, nam hoc non solum est cooperari, sed etiam quodammodo principaliter operari, et esse primum auctorem ipsius apostasiæ. Secundus est, consilium dare petenti, et approbare similem deliberationem, nam hoc præter moralem cooperationem est perniciose decipere proximum in re gravi. Tertius est adjuvare ad ipsummet iniquum exitum, vel fugam, vel aperiendo januas, aut tollendo alia impedimenta, vel certe aliis modis auxilium præbendo ad illa superanda.

Quartus esse potest post exitum recipiendo, occultando, aut defendendo apostatam. In quo oportet advertere hunc non esse concursum ad proprium peccatum apostasiæ, quod in ipso pravo exitu committitur; quia vero apostata non solum peccat exeundo, sed etiam permanendo in sæculo, seu non redeundo ad claustrum, ideo isti receptatores, etc., in tantum peccare possunt, in quantum cooperantur huic detentioni, vel sunt in causa ne hujusmodi apostatæ statim ad suam religionem redeant.

2. *Quæ receptio apostatæ sit aut non sit cooperatio.* — *Quæ etiam occultatio ejusdem.* — Quapropter si amicus vel consanguineus recipiat hujusmodi apostatam in domo sua, vel præbeat ei necessaria ad vitam, solum quia amicus vel consanguineus est, et alio modo non cooperetur suæ detentioni, non videtur cooperari peccato ejus, quia nullo modo causat illum, sed solum naturam sustentat; si autem illi præbeat instrumenta necessaria ad fugam, ut æquum, aut pecunias, videtur sane cooperari peccato ejus. Nam si sciret illum ire ad occidendum hominem, et præberet illi equum, sine dubio cooperaretur; et in universum, dare instrumentum necessarium ad opus, est magnus concursus ad illud. Nec refert quod talis res, et præsertim pecunia de se sit indifferens ad alios usus; nam res moraliter consideranda est, prout hic et nunc constat esse moraliter determinatam ad pravum usum. Idem erit, si per vim defendatur, ne a Prælato religionis vel ministris ejus capiatur, quia est defensio injusta, et quædam veluti apostasiæ conservatio. De occultatione vero non est omnino idem, si secludatur positiva vis, aut injusta deceptio, quia, quod reliquum est, solum videtur esse negativum, ut non prodere apostatam, vel non cogere illum, ut domo exeat, vel certe habere clausam januam domus, vel cubiculi; quanquam in hoc jam videatur esse positivus concursus, quod magis moraliter quam physice prudenter spectandum est, juxta occurrentes circumstantias, et præsertim ex intentione; nam si id fiat ut apostata liber evadat et vegetur, plane est cooperatio; si autem fiat solum ad tuendum honorem ejus, ut cum minori dedecore ac pœna reducatur ad monasterium, in interiori foro, ut opinor, excusabitur a cooperatione, quamvis in exteriori præsumatur cooperari.

3. *Explicatur alia cooperatio negativa.* — Negative dicimus cooperari illum, qui cum